

de-esserint, vel is scriptus heres fuit, cum quo testamenti factio non fuit: peti contra tabulas inane est, quæ sine effectu foret.

20. *Idem*, lib. 19 Disputationum.

Filium, quem in potestate habebat, exheredavit: emancipatum præterit: quæsitum est, quatenus emancipatus bonorum possessionem habiturus sit? Dixi, si scripti heredes extranei adierint hereditatem: repellendum esse filium qui mansit in potestate. Quod si hi repudiaverint hereditatem, quod facile sunt facturi, nihil latari ex hereditate propter eum, qui contra tabulas accepit bonorum possessionem: filius ab intestato patris suus heres deprehenditur: emancipatus autem petens contra tabulas bonorum possessionem, solus habebit bonorum possessionem. Sed cum exhereditatio non⁴⁵ adita hereditate ex testamento, nullus sit momenti: ideoque non obstat eam, nec quominus contra tabulas [libertorum] patris accipiat bonorum possessionem, Julianus recte respondit: ne testamentum per omnia irritum ad notam exheredationis solam proficisse videatur: redit res ad intestati exitum, ut, adversus filium suum ex asse heredem, ab intestato patre emancipatum prætor in parte dimidia tueatur. Erit ergo venale beneficium scripti heredis extranei: ut, cum ipse jure hereditatis nihil sit consecuturus, adeundo repellat filium in potestate relictum, præstetque asem emancipato filio jure contra tabulas bonorum possessionis: si autem omiserit hereditatem, in portionem bonorum exheredatum effectum admittet jure factum solum suum heredem. Sed quemadmodum prætor emancipatum tueatur, si adita non fuerit hereditas: ita nec filius, qui in potestate remansit, additione adhibita in totum expellendus erit: sed ad hereditatis petitionem admittendus est ex causa inofficiosi querelæ contra emancipatum movende. — § 1. Videamus tamen isto casu quo utriusque ad bona patris veniunt, an ei conferre debeat emancipatus? nam neque ex hac parte edicti verbis id facere cogitur, unde contra tabulas accepit bonorum possessionem (quæ inter eos, quibus ita bonorum possessio dabitur, caveri de collatione ab emancipato jubet: iste enim, qui mansit in potestate, quod exheredatus nominatum fuit, non est vocatus ad bonorum possessionem contra tabulas), neque ex illa parte edicti, qua, intestato patre mortuo, emancipatus ad bonorum possessionem admissus, ad collationem compellitur: quia et si frater ab intestato heres sit, emancipatus tamen non inde accepit bonorum possessionem. Et vereor, ne hæc filio suo profuerit factum heredis scripti non adeuntis, ut eum ad portionem admittet bonorum paternorum: non etiam eorum, quæ emancipatus propria habuit; et hoc sit consequens illi, quod, cum ex minore parte scriptus a patre heres relictus in potestate, admissio fratre emancipato ad contra tabulas bonorum possessionem, ejus beneficio⁴⁶ plus consequatur: quamvis edicti verbis collatio inducatur, ex mente prætoris denegandam [eam] respondetur; multo magis autem huic conferri non oportet: quia et a patre exheredatus, a prætore ad bonorum possessionem contra tabulas non vocatus, occasione ommissæ hereditatis a scripto herede nihil habituro propter delatam emancipato a prætore contra tabulas bonorum possessionem, nomen sui heredis adeptus [est]. — § 2. Legata tamen ex parte sua iste emancipatus liberis et parentibus præstare cogetur: non⁴⁷ solida, sed diminuta in dimidium, quod relinquunt manenti in potestate. Sed nec adversus eum constituendæ actionis legatorum ratio est, qui merito jure intestato heres exitit. Sed qui accepit contra tabulas bonorum possessionem, etiam si non fuerit adita hereditas a scripto, præstat legata ea parte testamenti data, contra quam bonorum possessio accepta est. Erit ergo melior hoc casu conditio in familia relictæ filii, quam foret, si exheredatus non esset.

21. *MODESTINUS*, lib. 6 Pandectarum.

Si is, qui filium, et ex eo nepotem in potestatem habebat, filium⁴⁸ in adoptionem dedit, nepote retento in potestate; postea filius emancipatus a patre adoptivo decessit extraneis heredibus institutis: filius hujus, qui in potestate avi remansit, contra tabulas patris sui bonorum possessionem petere poterit: quamvis nunquam in potestate hujus fuerit; ideo nec debuisse in potestate esse videtur: nam si aliter observatur, nec si emancipatus filius fuerit, nepos ex eo, qui in potestate avi remansit, bonorum possessionem contra tabulas petere poterit. — § 1. Idemque juris est, si emancipatus⁴⁹ filio, nepos ex eo in potestate avi remanserit, et postea patri suo in adoptionem datus fuerit: id est, contra tabulas avi bonorum possessionem petere poterit: quia per adoptionem aliena familia non fuerit. — § 2. Sed si emancipatus filius meus adoptaverit extraneum filium: is, qui adoptatus est, filius contra tabulas meas bo-

45. L. 1. § 5. inf. de bon. libert. — 46. L. 1. § 4. inf. de collat. — 47. L. 10. § ult. inf. in præf. — 48. L. 3. § 9. supr. h. t. — 49. d. L. 3. § 7. — 50. L. 10. § 8. in fin. supr. de in jus vocato.

TIT. V — 1. C. de bon. posses. contra tab. quam prætor liber. — 2. L. ult. § 1. in

norum possessionem petere non poterit: quia nunquam⁵⁰ nepotis loco apud me fuit.

TIT. V.

DE LEGATIS PRÆSTANDIS, CONTRA TABULAS BONORUM POSSESSIONE PETITA.

1. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Hic titulus æquitatem quandam habet naturalem, et ad aliquid novam: ut, qui judicia patris rescindunt per contra tabulas bonorum possessionem, ex judicio ejus quibusdam personis¹ legata et fideicommissa præstarent: hoc est liberis, et parentibus, uxori, nuptique dotis nomine legatum. — § 1. Generaliter autem parentes² et liberos prætor excepit: nec gradus liberorum parentiumve enumeravit, in³ infinitum⁴ igitur eis præstabitur. Sed nec personas prosecutus est: utrum ex virili sexu, an ex fœminino descendant. Quisquis igitur ex liberis parentibusque fuerit, ad legati petitionem admittetur: sed ita demum, si jura cognationis sunt inter eos. — § 2. Liberos autem etiam eos ad legatorum petitionem admittimus, qui in adoptionem dati sunt, vel etiam [in] adoptivis, dummodo maneat liberi. — § 3. Posthumis liberis legata relicta utique præstabitur.

2. *JULIANUS*, lib. 23 Digestorum.

Et ideo si prægnate uxor filium emancipatus fuerit, et bonorum possessionem contra tabulas accepit, legatum nepoti præstare debet.

3. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sed et si mortis causa donationes [sunt] collate, credo, tuendæ sunt: si autem excepti non sunt, auferendas eis puto mortis causa donationes. — § 1. Liberi autem tantum et parentibus prætor prospexit: non etiam fratri et sorori conservabit legatum. — § 2. Hoc autem solum debetur, quod ipsis parentibus relictum est, et liberis: cæterum si servo⁵ eorum fuerit adscriptum, vel subjectæ juri eorum personæ, non debetur; nec enim querimus, cui adquiratur: sed cui honos habitus sit. — § 3. Sed et si conjunctim ei fuerit legatum relictum cum eo, qui non præstatur: sua tantum portio ei conservabitur. — § 4. Item si quis ex his personis rogatus sit restituere extero, quod sibi relictum est: dicendum, non esse legatum præstandum: quia emolumentum ad eum non respicit. — § 5. Sed si proponas, extero legatum, rogatumque eum præstare hoc alicui ex liberis parentibusque: consequenter dicemus, præstari debere. — § 6. Hoc amplius, et si extraneus relictum sit sub hoc modo, ut alicui ex liberis præstet: æquissimum erit dicere, non debere ei prætoris denegare actionem. — § 7. Ea autem legata sola præstant qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt, quæ utiliter data sunt; verum, si circo non debentur, quod filius contra tabulas bonorum possessionem accepit.

4. *JULIANUS*, lib. 23 Digestorum.

Cum propter hoc plerumque⁶ scripti heredes omittant hereditatem, cum scirent emancipatum aut petisse aut petiturum contra tabulas bonorum possessionem.

5. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Filium quis impuberem heredem scripsit, eique substituit: emancipatum autem filium præterit: deinde uterque filius acceperunt bonorum possessionem: legata sunt etiam⁷ substituto impuberis relicta, non tantum liberis, et parentibus, verumetiam extraneis: queritur, an mortuo impubere, cogatur substitutus ea præstare? Et si quidem ab impubere relicta sunt: solis liberis parentibusque præstanda sunt; sin vero, [a] substituto impuberis: omnibus eum præstare oportet, habita ratione legis Falcidie: scilicet ut partis dimidia, quæ ad eum ex bonis patris pervenit, quartam (id est, totius assis sescunciam) retineat. — § 1. Quod si impubes ex unciã duntaxat institutus heres fuerit, magis est, semissem⁸ usque legata præstaturum, habita ratione legis Falcidie: licet enim ex unciã fuerit impubes institutus; tamen, quod accessit, augetur legata a substituto relicta. — § 2. Omnibus autem liberis præstari legata prætor voluit, exceptis his liberis, quibus bonorum possessionem prætor dedit ex causis supra scriptis: nam si dedit bonorum possessionem, non putat legatorum eos persecutionem habere. Constituitur igitur apud se debet, utrum contra tabulas bonorum possessionem petat, an vero legatum persequatur; si elegerit contra tabulas, non habebit legatum:

inf. inf. h. t. — 3. L. 4. § 2. in fin. supr. de in jus vocando; L. 56. § 1. L. 230. in præf. de verb. sign. — 4. *Immo* vide L. 10. § 7. inf. de gradib. et affini. — 5. L. 23. inf. h. t. — 6. L. 12. inf. cod. — 7. L. 54. in fin. L. 35. supr. de vulg. et pupill. substit. L. ult. in fin. supr. de legat. 3. — 8. d. L. ult. § ult.

si⁹ legatum elegerit, eo jure utimur, ne petat bonorum possessionem contra tabulas. — § 3. Si quis contra tabulas bonorum possessionem acceperit, deinde postea apparuerit eum ex his liberis non fuisse, qui eam bonorum possessionem accipere possunt: ex his tamen esse, quibus legata præstatur: obtinuit, non esse ei denegandam petitionem legatorum: sive ordinariam bonorum possessionem petierit, sive Carbonianam. — § 4. Non solum autem legatum denegatur ei¹⁰, qui bonorum possessionem accepit: verumetiam si quid aliud ex voluntate accepit. Cui consequens est, quod Julianus scripsit, si fratri suo impuberi substitutus sit, acceperitque contra tabulas bonorum possessionem: denegari ei persecutionem hereditatis fratris impuberis mortui, cui a patre substitutus est. — § 5. Si legata fuerint relicta liberis et extraneis: licet utrorumque præstatio Falcidie locum faceret, legataque liberorum recideret, tamen nunc ob hoc, quod extraneis non præstatur, legata liberorum augentur¹¹. — § 6. Sed et si portio hereditatis fuerit adscripta ei, qui ex liberis parentibusque est: an ei conservanda sit, ut solent, legata? Et Julianus sæpissime scripsit, in portione¹² quoque hereditatis idem, quod in legato, probandum: cujus sententia rescripto divi Pii comprobata est; cum hereditas non modo honesto titulo, sed et pleniore honore tribuantur. — § 7. Ad eum autem modum talibus personis succurrendum est: ut ampliore quidem, quam virili portione hereditatis data, usque ad virilem tueantur¹³; in minorem autem eatenus actiones his tribuantur, quatenus scriptæ sint. Idem observatur et circa legata, fidei[ve] commissæ, quæ his data fuerint, et in mortis causa donationibus. — § 8. Is autem, cui portio hereditatis conservatur, utrum omnibus, an tantum exceptis personis legata cogatur præstare? Et magis probatur, exceptis personis solis præstanda¹⁴: nec tamen solius commodo id cedit; nam si legatis onerata sit portio, tam liberorum parentiumve, quam extraneorum: id quod¹⁵ extraneis non præstatur, liberis parentibusque profuturum non dubitamus. Igitur ita demum quod extraneis non præstatur, communicatur cum eo, qui contra tabulas petit, si non legatariis liberis parentibusque dandum sit.

6. *JULIANUS*, [lib. 23 Digestorum].

Salvius Aristo Juliano salutem. Qui filium emancipatum habebat, præterito eo patrem suum, et extraneum heredem instituit, et patri legatum dedit: filius contra tabulas bonorum possessionem petit. Queritur, si aut uterque hereditatem adisset, aut alter ex his, aut neuter: an, et¹⁶ quantum legatorum nomine patri debeat? Respondit: Sæpe animadverti, hanc partem edicti qua emancipatus accepta contra tabulas bonorum possessione liberis et parentibus legata præstare jubetur, habere nonnullas reprehensiones: nam si dodrans legatus fuerit, plus habiturus est is, cui legatum erit, quam emancipatus; decreto itaque ista temperari debent: ut et hereditatis partem emancipatus præstet ita, ne scriptus heres amplius habeat, quam emancipatus; et legatorum modus temperaretur, ut nihil plus ex legatis ad aliquid perveniat, quam apud emancipatum bonorum possessionis nomine remansurum est.

7. *TRYPHONINUS*, lib. 16 Disputationum.

Nam, secundum constitutionem D. Pii ad Tusciam Fuscianum Numidie legatum, placuit, parentes et liberos heredes quoque institutos tueri¹⁷ usque ad partem virilem exemplo legatorum: ne plus haberent ex institutione tales personæ, quam ad eum perventurum esset, qui contra tabulas bonorum possessionem accepit.

8. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Virilis portio quemadmodum accipiendæ sit, videamus. Pone duos esse, qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt; unum esse ex liberis parentibusque: virilis, tertia erit portio; sed si tres sunt, qui contra tabulas acceperunt, quarta erit virilis: hoc idem et in legatis observabitur. Sed si unus sit ex liberis, qui accepit contra tabulas bonorum possessionem, plures sint, qui ex liberis parentibusque legata acceperunt: sic hoc accipiendum est, ut filius præteritus semissem habeat, cæteri omnes, qui sunt ex liberis parentibusque, semissem. — § 1. Si quis ex liberis parentibusque et heres institutus sit, et legatum acceperit: utrum tantum portionem ei conservamus, an vero et legatum, an alterutrum, quod elegerit? et magis est, ut utrumque¹⁸ conservetur: sed sic, ne amplius¹⁹ in utroque quam virilem habeat. — § 2. Si adierit hereditatem is, cui virilis conservatur: libertates competent²⁰ ex necessitate per additionem; verumtamen videndum est, an de dolo actione teneatur, qui adit? et magis est ut, si denunciante eo, qui præteritus accepit con-

9. L. 10. § 2. supr. tit. præf. — 10. L. 22. supr. de vulg. et pupill. substit. — 11. § ult. inf. h. t. — 12. L. 7. inf. h. t. — 13. d. L. 7. — 14. L. 15. § 1. inf. h. t.: vide tamen L. 16. in fin. inf. cod. — 15. § 2. supr. hic; L. 46. in præf. de usufr. L. 35. supr. de vulg. et pupill. substit. — 16. L. 7. inf. h. t. — 17. L. 5. § 6. supr. L. 8. § 1. inf. cod. — 18. *Vide* tamen L. 22. in fin. inf. cod. — 19. L. 7. supr. cod. — 20. L. 15. § 1. inf. de manumiss. testam.

tra tabulas bonorum possessionem, hic adit hereditatem pollicente eo portionem virilem, sit quod ei imputetur, et de dolo actione teneatur: damno enim adicit hereditatem, dum competunt libertates. — § 3. Si quid uxori nuptique fuerit legatum præter²¹ dotem, accepta contra tabulas bonorum possessione non præstabitur. — § 4. Nurus²² autem appellatione et pronorum ceterasque contineri, nulla dubitatio est. — § 5. Cum autem dotis nomine legatur, non puto, ad virilem uxorem nuptive redigendam: cum mulier ista ad æs alienum veniat. — § 6. Non solum autem dotem prælegatam prætor complectitur, verumetiam si pro dote aliquid fuerit relictum; utputa si dos in rebus [sit], et pro rebus ei quantitas relinquatur, vel contra: dum tamen hoc nominetur, quod pro dote relinquatur.

9. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

Sed etsi plus sit in legato, quam in dote, dabitur illis actio.

10. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sed etsi pro dote ex parte²³ aliqua eandem heredem scripserit, tuendam esse puto. — § 1. Esse autem uxorem mortis tempore exigemus. Si nupti dotem prælegaverit, eaque mortis tempore nupta sit, nullum legatum est: quia dos nondum debeat; sed cum et constante matrimonio adversus heredes soceri dabitur actio: dicendum est, etiam prælegata dotis petitionem dari debere. — § 2. Non omnia quæ ab omnibus gradibus relicta sunt legata præstare eum oportet, qui contra tabulas petit: sed ea sola²⁴, quæ in eo gradu data sunt, contra quem bonorum possessionem accepit. Sed nonnunquam contra alium quidem gradum petita est bonorum possessio, ex alio vero legata præstanda sunt: ut ecce, duo gradus heredum facit; emancipatum præterit; ab utroque tamen gradu liberis et parentibus legata adscripsit; ait Julianus: Si quidem aliquis ex primo gradu vivit, ea legata præstabit, quæ liberis et parentibus a primo gradu data sunt: sin vero nemo vivit eorum, ea quæ a sequenti: quod si neque²⁵ ex primo gradu, neque ex secundo quisquam in rebus fuerit humanis, cum testator moritur, tunc ab intestato magis bonorum possessionem præterito filio competere, nec legata cuiquam præstanda: quod si pro morte testatoris, ante aditam hereditatem instituti decesserint, contra ipsos quidem videri petitum; verumtamen ab eis relicta legata non esse præstanda, sed quæ a substitutis relicta sunt.

11. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

At ubi institutus et substitutus vivant, licet nemo adeat hereditatem, ea tamen legata deberi dicimus, quæ ab instituto data sunt.

12. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sive autem²⁶ omiserint instituti, sive non omiserint: dicendum est, legata, quæ ab ipsis relicta sunt, præstanda: quamvis secundo gradu instituti, omittentibus eis adierint hereditatem.

13. *TRYPHONINUS*, lib. 2 Disputationum.

Item a substituto legata deberi dicimus, si institutus conditione defectus esset, quæ in ipsius potestate non fuit; nam si eam, quæ in ipsius potestate fuit, non implevit: pro eo habendus est, qui noluit adire hereditatem: quando nihil habiturus emolumenti, conditioni merito non paruerit.

14. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Nonnunquam contra tabulas bonorum possessionem quis habet jure secundum tabulas bonorum possessionis: utputa heres institutus est emancipatus filius, alius emancipatus præteritus; institutus accepit contra tabulas bonorum possessionem, præteritus omisit: apertissimum est, ut cogatur omnibus²⁷ perinde legata præstare, atque si commissum edictum non fuisset; nec enim occasio emancipati præteriti debet institutum lucro ad ficere, cum præteritus jure suo non utatur. — § 1. Si ab uno ex filiis herede instituto nominatum alicui ex liberis parentibusque legatum datum sit, et acceperit bonorum possessionem contra tabulas cum aliis: melius est probare, omnes²⁸, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperunt, cogendos id legatum præstare.

15. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

Is, qui in potestate²⁹ est, præteritus legata non debet præstare, etsi contra tabulas bonorum possessionem petierit: quia, et non petita bonorum possessione intestati hereditatem obtineret; nec enim exceptio doli mali huic nocet: et absurdum est, eum cogi legata præstare, quia bonorum possessionem petierit; cum et sine hac hereditatem habiturus sit suo

21. L. 1. in præf. h. t. — 22. L. 50. inf. de verb. sign. — 23. L. 6. § 2. inf. de grad. et affini. — 24. L. 5. § 6. supr. h. t. — 25. L. 20. in fin. supr. tit. præf. — 26. L. 19. supr. d. t. — 27. L. 4. supr. h. t. — 28. L. 15. § 1. inf. cod. — 29. *Vide* tamen L. 18. in fin. inf. cod. — 29. L. 16. inf. cod.

jure. Unde si duo præteriti sunt, emancipatus, et is qui in potestate est: quidam nec emancipatum præstare debere legata existimant, quia effectu fratris aufert partem dimidiam; cum, etsi hic non peteret, suus solus rem habiturus esset. Quid ergo est, ubi præteritus sit suus? verius est quod dictum est. Ubi vero scriptus est, et voluntatem patris habet, debet teneri legatariis, etiam si omiserit bonorum possessionem. — § 1. Sed si unus emancipatus heres scriptus sit, alter præteritus, et utriusque contra tabulas bonorum possessionem acceperint: et institutus eadem præstat, quæ præteritus. Sed si solus heres institutus contra tabulas bonorum possessionem acceperit, omnibus³⁰ debet legata præstare: perinde atque si adisset hereditatem. Sed si scriptus quidem adierit hereditatem, præteritus autem bonorum possessionem acceperit: hic quidem, qui bonorum possessionem acceperit, certis³¹ personis legata debet. De scripto autem quæritur: et complures putant, certis personis et eum præstare debere; quod puto verius esse: nam et prætor hac ratione eum tuetur quod ex liberis est, qui contra tabulas petere poterunt. — § 2. Ita autem tuendus est in partem dimidiam, si aut ex majore parte quam dimidia, heres institutus sit, aut ex semisse; quod si ex minore parte quam dimidia institutus sit, dicimus non ex majore parte, quam institutus sit, tuendum eum esse: quia enim ratione majorem partem habere potest, cum nec bonorum possessionem acceperit, nec ex majore parte institutus sit? — § 3. Ei, quæ dotem non habet, nullum legatum debet³², licet sub prætextu dotis legetur. — § 4. Si extraneo herede instituto, sub hac conditione exceptæ personæ legatum sit, si heredi decem dederit: ita ei legatorum actio dabitur, si ei, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperit, dederit; non si heredi instituto: quia absurdum est, illum comoda hereditatis habere, alium³³ onera sustinere in præstando legato; sed et si Titio jussus fuerit dare, non illi, sed filio dare debet.

16. ULPIANUS, lib. 4 Disputationum.

Si duo proponantur esse, unus³⁴ in potestate præteritus, alius emancipatus institutus: apparet commissum esse edictum per eum, qui in potestate est; et si ambo petissent contra tabulas bonorum possessionem: is quidem, qui in potestate mansit, cum rem ab intestato habeat, non præstabit liberis et parentibus legata: emancipatus vero nunquid nec ipse præstat, quia ei rem auferret qui præstaturus non erat, si solus esset? sed verius est, vel hunc saltem debere liberis et parentibus præstare legata. Proinde si contra tabulas non acceperit, dicendum est, tuendum eum in partem, et utique liberis parentibusve legata præstaturum. Sed an et omnibus³⁵ dubito: tamen quia plena fruatur voluntate, plenum et obsequium præstare testatoris iudicio pro sua parte debet.

17. JULIANUS, lib. 36 Digestorum.

Si emancipato filio præterito, pater extraneum heredem instituisset, et ab eo rem legasset, eaque adita hereditate dolo scripti heredis perisset: adversus emancipatum utilis actio dari debet; ei scilicet personæ, cui filius legata præstare cogitur: quia prætori propositum est, sine injuria cæterarum personarum bonorum possessionem contra tabulas testamenti dari.

18. AFRICANUS, lib. 4 Quæstionum.

Nepos qui in potestate mansit, et filius suus heredes instituti sunt: nepoti legatum dedit: pater ejus emancipatus petiit bonorum possessionem: nepos legato contentus est. Quidam in eum solum, qui in potestate esset, legati actionem nepoti dandam responderunt: quia ei nihil auferatur, et emancipatus partem filii sui occupet, in qua onus legatorum non consisteret. Sed rectius dicitur, in emancipatum solum dandam actionem nepoti; et quidem non ultra quadrantem³⁶.

19. Idem, lib. 5 Quæstionum.

Quia et si omnes petissent bonorum possessionem, semis nepotis inter eum et patrem ejus divideretur.

20. MARCIANUS, lib. 4 Regularum.

Si filius emancipatus contra tabulas bonorum possessionem petierit, tuendus quidem liberis et parentibus constat: sed si varie donatum fuerit exceptis personis a testatore mortis causa, pro rata conferent ad virilem emancipato; sicut accidit in portionibus hereditariis et legatis. — § 1. Intestato autem mortuo patre, super donationibus mortis causa factis, non poterit filius queri: quoniam comparatio nulla legatorum occurrit.

21. PAPINIUS, lib. 13 Quæstionum.

Si portio hereditatis, quam excepta persona beneficio legis habere po-

30. L. 14, in pr. supr. cod. — 31. L. 5, § ult. supr. cod.; immo vide L. 14, in pr. vers. sed illud supr. lit. prot.; L. 15, in fin. infr. h. t. — 32. Immo vide L. 3, C. de facta caus. adject. — 33. L. ult. § 3, in fin. C. de furt. — 34. L. 15, in pr. supr. h. t. — 35. L. 5, § ult. d. L. 15, § 1, in fin. supr. cod. — 36. L. 19, infr. cod.; L. 1, § 11; L. ult. infr. de conjung. cum

tuit, repudietur: pro ea quoque parte filius, qui bonorum possessionem accepit, non aliis, quam exceptis personis, legata præstabit.

22. Idem, lib. 5 Responsorum.

Bonorum possessione contra tabulas testamenti præterito emancipato filio data, scriptus heres alter filius qui possessionem accepit, vel jure civili contentus non acceperit, legata præcipua non habebit³⁷.

23. HERMOGENIANUS, lib. 3 juris Epitomarum.

Hi quibus vel relictum, vel virilem divus Pius conservari constituit³⁸, ex servis, qui libertatem propter bonorum possessionem contra tabulas acceptam consequi non potuerunt, nihil habebunt.

24. TRYPHONINUS, lib. 16 Disputationum.

Intervenit illa quæstio, quando numero liberorum esse debeat is, cui legatum datum est, ut id ferre possit a filio contra tabulas bonorum possessionem accipiente? Et placet sufficere, in ea necessitudine tunc esse, quando dies legati cedit.

25. MARCELLUS, lib. 9 Digestorum.

Qui filium emancipaverat, et nepotem ex eo retinuerat in potestate, testamento filium exheredavit; nepotem ex aliqua parte instituit heredem, et alium filium emancipatum præterit. Potest defendi, nepotem quoque bonorum possessionem contra tabulas petere posse: nam pro ea parte, qua quisque intestato suus heres esset, si pater suus heres non esset, bonorum possessio defertur. — § 1. Is cujus filius in adoptione erat, nepotem quem filius postea procreaverat, scripsit heredem; emancipatum filium præterit: num habet nepos ex edicto bonorum possessionem? tuendus tamen exemplo parentum⁴⁰ et liberorum, quibus legata præstare coguntur qui bonorum possessionem contra tabulas acceperunt. — § 2. Si forte ex eodem filio retinuerat nepotem unum, pluresve, indubitate pro ea parte tuendus est, pro qua parte tuetur, si ex filia nepos aut mater defuncti heredes instituti essent: nam his comparatur.

TIT. VI.

DE COLLATIONE.

1. ULPIANUS, lib. 40, ad Edictum.

Hic titulus manifestam habet æquitatem; cum enim prætor ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatos admittit, participesque faciat cum his, qui sunt in potestate, bonorum patrum: consequens esse credit, ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetant paternam. — § 1. Inter eos dabitur collatio, quibus possessio data est. — § 2. Plane si minorem vel aium, quem restituere in integrum solet prætor, restituerit ad bonorum possessionem contra tabulas petendam, quam omiserat: utique etiam collationis commodum ei restituit. — § 3. Si ex dodrante fuit institutus filius qui erat in potestate, extraneus ex quadrante: emancipatum accipientem contra tabulas, pro quadrante tantum bona sua collaturum Julianus ait: quia solum quadrantem fratri abstulit; argumentum pro hac sententia adfert Pomponius, quod filius emancipatus² nepotibus ex se natis solis conferre cogitur. — § 4. Pater filium, quem in potestate habebat, et extraneum heredem scripsit, emancipatum præterit: bonorum possessionem contra tabulas uterque filius accepit; potest non incommode dici, emancipatum ita demum conferre fratri suo debere, si aliquid [ei] ex causa hereditaria abstulerit; nam si minore ex parte, quam dimidia, is, qui in potestate erat, heres scriptus fuerit: inique videbitur collationem postulare ab eo³, propter quem amplius hereditate paternam habiturus est. — § 5. Totiens igitur collationis locus est, quotiens aliquo incommodo affectus est is, qui in potestate est, intervenit emancipati: cæterum, si non est, collatio cessabit. — § 6. Vel maxime autem tunc⁴ emancipatum conferre non oportet, si etiam iudicium patris meruit: nec quicquam amplius nascitur, quam ei pater dedit. — § 7. Sed et si legatis meruit⁵ semissem, vel tantum, quantum contra tabulas bonorum possessionem occupat; dicendum est, non esse cogendum ad collationem.

§ 8. Ibidem Julianus ait, si bonorum possessione accepta decesserit is qui in potestate est, ad collationem bonorum cogendum emancipatum: ut tantum heredi ejus conferat, quantum conferret ipsi si viveret. Quod si ante acceptam bonorum possessionem decesserit suus, heredem ejus prætor [ita] tueri debet (inquit) pro ea parte, qua heres scriptus

emanc. — 37. Immo vide L. 5, C. de inoffic. donat. — 38. Vide tamen L. 5, § 1, supr. h. t. — 39. L. 3, § 1, l. 7, supr. cod. — 40. L. 1, § 1, supr. cod. — Tit. VI. — 1. Lib. 6, C. 20. — 2. L. 1, § 15, infr. de conjung. cum emancip. — 3. L. 20, § 1, vers. et hoc sit consequens. supr. de bon. posses. contra tab. — 4. L. 1, C. h. t.

fuit is qui in potestate erat: non tamen ultra virilem; ad collationem autem non admittit eum in hunc casum, quia bonorum possessio admissa non est. — § 9. Jubet autem prætor ita fieri collationem, ut recte caveatur. Caveri autem per satisfactionem oportere. Pomponius ait. An pignoribus caveri possit, videamus? Et Pomponius lib. 79 ad Edictum scripsit, et reus⁶, et pignoribus⁶ recte caveri de collatione: et ita ego quoque puto. — § 10. Si frater cavere non possit, curator portionis ejus constituitur, apud quem reflecta pecunia collocetur: ut tunc demum recipiat quod reductum est, cum bona propria contulerit. Quod si per contumaciam⁷ actiones denegatæ sint, obolata postea cautione recipit pristinum jus. — § 11. Quamvis autem edictum prætoris de cautione loquatur, tamen etiam re posse fieri collationem, Pomponius lib. 79 ad Edictum scripsit: Aut enim re, inquit, aut cautione facienda collatio est. Igitur dividat, inquit, bona sua cum fratribus: et quamvis non caveat, satisfacit edicto. Sed et si quædam dividat, de quibusdam caveat: æque dicitur eum satisfecisse. Sed cum possint esse quædam in occulto, non satis confert, qui non cavit, quamvis dividat. Si igitur constet inter partes, quid sit in bonis emancipati, sufficiens collatio est diviso: si non constet, sed dicatur quædam non esse in commune redacta: tunc propter incertum cautio erit interponenda. — § 12. Sed etsi tantum forte in bonis paternis emancipatus remittat, quantum ex collatione suus habere debet; dicendum est, emancipatum satis contulisse videri. Idem est si nomen paterni debitoris delegaverit, vel fundum remve aliam dederit pro portione bonorum quæ conferre debuit. — § 13. Si, cum duobus conferre deberet, alteri contulerit, alteri non: vel cum cavet, vel cum dividit, videndum est, utrum sextantis tantum ei auferatur emolumentum, an vero trientis totius detrahi debeat? et puto, si quidem per contumaciam⁸ non caveat, totius trientis ei denegandas actiones: nec enim videtur cavisse, qui non omnibus cavit; quod si per inopiam, sextantis tantum denegandas: sic tamen, ut possit supplere cautionem vel collatione, vel cæteris modis, quibus supra diximus: aut curator constituatur rem ei salvam facturum; haberi enim debet ratio ejus, qui non per contumaciam collationem non implet. — § 14. Is quoque, qui in adoptiva⁹ familia est, conferre cogitur, hoc est, non ipse¹⁰, sed is qui eum habet, si maluerit contra tabulas bonorum possessionem accipere. Plane si hic adoptivus pater ante bonorum possessionem petitam emancipaverit eum, non cogitur ad collationem: et ita rescripto divorum fratrum expressum est. Sed ita demum adoptivus emancipatus collatione fratres privabit, si sine fraude hoc factum sit.

§ 15. Nec castrense¹¹, nec quasi castrense peculium fratribus conferitur: hoc enim præcipuum esse oportere, multis constitutionibus constituitur. — § 16. Sed an id, quod dignitatis nomine a patre datum est, vel debetur, conferre quis in commune cogatur, videamus? Et ait Papinianus lib. 13 Quæstionum, non esse cogendum: hoc enim propter onera dignitatis¹² præcipuum haberi oportere. Sed si adhuc debeatur, hoc sic interpretandum est, ut non solus oneretur is qui dignitatem meruit: sed commune sit omnium heredum onus hoc debitum. — § 17. Qui ab hostibus captus, post mortem patris redit¹³: licet moriente patre nihil habuit, cum apud hostes fuerit, tamen et ad bonorum possessionem admittetur, et conferet scilicet ea, quæ moriente¹⁴ patre haberet, si ab hostibus captus non fuisset; sed etsi redemptus ab hostibus mortis tempore patris invenitur, æque collatio erit facienda. — § 18. Si emancipato legatum fuerit, cum pater morietur: etiam hoc conferre debet. — § 19. Si ab ipso patre herede instituto, filio ejus fideicommissum fuerit relictum, cum morietur: an id conferendum est, quoniam utile est hoc fideicommissum? et eveniet, ut pro eo habeatur, atque si post mortem patris relictum fuisset: nec cogitur hic conferre, quia moriente eo [ejus] non fuisset. — § 20. Emancipatus¹⁵ filius, si dotem habeat ab uxore acceptam, hoc minus confert, etsi ante uxorem decesserit. — § 21. Si impubere adrogato secundum divi Pii rescriptum¹⁶ quarta debetur, videndum est, an, si patris naturalis bonorum possessionem petat, conferre quartam debeat: quæstio in eo est, an heredi suo relinquat quartæ actionem, an non? Et magis est, ut ad heredem transferat: quia personalis actio est: igitur etiam de quarta conferenda cavere eum oportebit. Sed hoc ita demum, si jam nata est quartæ petitio; cæterum si adhuc pater adoptivus vivat, qui eum emancipavit: dicendum est cautionem quoque cessare: præmarta¹⁷ est enim spes collationis, cum adhuc vivat is, cujus de bonis quarta debetur. — § 22. Si is, qui bona collaturus est, habeat filium peculium castrense habentem, non cogitur

5. L. 1, supr. qui satisd. cog. — 6. Vide tamen L. 7, infr. de stipul. prætor. — 7. § 13, infr. h. t. — 8. § 10, supr. h. t. — 9. L. 5, in pr. infr. h. t.; L. 2, infr. de dot. collat. — 10. d. L. 5, in pr. — 11. L. 12, l. ult. C. h. t.; L. 4, in pr. infr. l. 3, C. de castrensi pecul. Inst. quib. non est permis. fac. testam. in pr. — 12. L. 20, § 8, supr. famul. erise. — 13. L. 1, § 2, supr. de bon. posses. contra tab. — 14. L. 6, C. h. t. — 15. L. 5, § 4, infr. cod. — 16. § 5, Inst.; L. 22, in pr. supr.; L. 2, C. de adopt.; L. ult. infr. si quid in fraud. patrui.

utique peculium ejus conferre; sed si jam tunc mortuus erat filius ejus, et castrense peculium habuit, cum moritur is cujus bonorum possessio petenda est: an conferre cogatur? cum autem vindicari id patri non sit necesse, dici oportebit, conferendum: non enim nunc acquiritur, sed non admittitur. Amplius dico, et si institutus fuerit a filio heres, necdum adierit, habeatque substitutum, quia non magis nunc queritur peculium, quam nunc non alienatur, conferri debere. — § 23. Confertur autem, etiam si quid ejus non fuerit, dolo¹⁸ malo autem factum sit, quo minus esset: sed hoc sic accipiendum est, ut hoc demum conferatur, quod ejus esse desit dolo malo; cæterum si id egit ne¹⁹ acquireret: non venit in collationem: nam hic et sibi insidiatus est. — § 24. Portiones collationum ita erunt faciendæ: ut puta duo sunt filii in potestate, unus emancipatus habens trecenta; ducenta fratribus confert, sibi centum: facit enim eis partem quamvis is sit, cui conferri non solet. Quod si duo sint filii emancipati habentes trecenta et duo in potestate: æque dicendum est singulos²⁰ singulis, qui sunt in potestate, centena conferre, centena retinere; sed ipsos invicem nihil conferre. Dotis quoque collatio in eundem modum fiet, ut quicumque confert, etiam suam personam numeret in partibus faciendis.

2. PAULUS, lib. 41, ad Edictum.

Cum emancipati filii nomine nepotem posthumum post avi mortem edictum dicimus bonorum possessionem accipere oportere, necessarium erit dicere, bona sua eum conferre: licet non potest dici, mortis tempore avi bona habuisse, qui ipse nondum in rerum natura erat; igitur sive hereditatem a patre, sive legatum acceperit: hoc conferre debet. — § 1. Illud autem intelligendum est, filium in bonis habere, quod deducto²¹ ære alieno superest. Sed si sub conditione debeat, non statim id deducere debet, sed id quoque conferre: contra autem caveri ei oportebit, ab eo, qui in potestate est, ut existente conditione defendatur pro ea parte, quam contulit. — § 2. De illis, quæ sine culpa filii emancipati post mortem patris perierunt, queritur ad cujus detrimentum ea pertinere debeant? et plerique putant ea, quæ sine²² dolo et culpa perierint, ad collationis onus non pertinere: et hoc ex illis verbis intelligendum est, quibus prætor viri boni arbitrato jubet conferri bona: vir autem bonus non sit arbitraturus conferendum id, quod nec habet, nec dolo, nec culpa desit habere. — § 3. Id quoque, quod sub conditione ex stipulato debetur, emancipato conferri debet. Diversum est in legato conditionali: quia etsi in potestate fuisset, et post mortem patris conditio extitisset, ipse haberet actionem. — § 4. Emancipatus filius, si injuriam habet actionem, nihil conferre debet: magis²³ enim vindictæ, quam pecuniæ, habet persecutionem. Sed si furti habeat actionem, conferre debet. — § 5. Si tres emancipati, duo in potestate sint: Gaius Cassius lib. 7 Juris civilis tertias conferendas putat: ut emancipati, quia²⁴ invicem non conferunt, unius loco sint; nec indignari eos oportere, si plus conferant et minus accipiant: quia in potestate eorum fuerit bonorum possessionem omittere; Julianus quoque Cassii sententiam sequitur. — § 6. Si ex emancipato filio nepos emancipatus, mortuo patre simul et avo bonorum possessionem utriusque acceperit, cum uterque eorum suum heredem reliquerit: eo modo collatio explicari potest, ut, si, verbi gratia, centum in bonis habuit, et patruo quinquaginta, et fratri quinquaginta conferre debet: hoc enim ratio facit, sive personas, sive portiones numeremus. — § 7. Si duo nepotes ex filio mortuo emancipati, bonorum possessionem avi petant: utrum dimidias, an quartas patruo conferre debeant, queritur? et verius est, semisses conferre eos oportere: quia et si vivo avo, cum in ejus potestate essent, ducenta [puta] adquisissent, centum filius, centum duo fratres per hereditatem avi haberent. — § 8. Si duo emancipati bonorum possessionem petierint, et unus contulerit, alter non contulerit: hujus portio tantum ei, qui in potestate est, denegatur, non etiam emancipato: quoniam ejus causa, qui in potestate est, denegatur ei actiones. — § 9. Si per inopiam emancipatus cavere non possit, non statim ab eo transferenda est possessio: sed sustinendum²⁵, donec possit invenire fidejussores; ut tamen de his, quæ mora deteriora futura sunt, his qui in potestate sunt, actio detur: ipsique caveant in medium collaturus, si cautum eis fuerit.

3. JULIANUS, lib. 25 Digestorum.

Prætor non sub conditione collationis bonorum possessionem contra tabulas promittit: sed demonstrat, quid data bonorum possessione fieri oportet. Alioquin magna captio erit emancipati, si non aliter bonorum

— 17. Fac. L. 2, § 2, supr. de vulg. et pupill. substit. — 18. L. 2, § 2, infr. h. t. — 19. L. 134, in pr. infr. de reg. jur. — 20. L. 5, § 2, infr.; l. 9, C. h. t. — 21. L. 6, in fin. C. eod. — 22. L. 72, in pr. supr. de iure dot.; l. ult. § 4, C. de bon. quæ liber. — 23. L. 1, § 25, supr. h. t. — 24. L. 15, § 46, infr. de injur.; L. 10, § 2, supr. si quis caution.; adde L. 7, C. de retrocand. donat. — 25. L. 1, in fin. supr. h. t. — 26. L. 13, infr. de solution.